

SCRIPTA

Numéro Scripta : 3533

Auteur(s) : Louis IX, France (roi)

Bénéficiaire(s) : Avranches (chapitre cathédral)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1256, avril

Action juridique : donation

Langue du texte : latin

Analyse

Richard [Ier], roi d'Angleterre, confirme les donations faites par Guillaume de Saint-Jean et Hasculf de Soligny à l'abbaye de La Trinité de La Lucerne.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Delisle Léopold, *Cartulaire normand de Philippe-Auguste, Louis VIII, Saint-Louis et Philippe le Hardi*, Caen, Harde l (MSAN ; 16, 2e série, 6, p. 160-390), 1852, n° 555, p. 102.

Dissertation critique

Datation proposée par L. Delisle.

Texte établi d'après a

Ludovicus, Dei gratia, Francorum rex, notum facimus universis, tam presentibus quam futuris, quod, cum ex nostra donatione teneret et ad vitam suam duntaxat possideret magister Ricardus de Landa, presbiter, decimam quamdam in parrochia Beati Martini de Campis juxta Abrincas sitam, nulli intitulatam ecclesie aut specialiter assignatam, nos, ob divini cultus augmentum, et anime nostre salutem, ac remedium animarum inclite recordationis regis Ludovici, genitoris nostri, regine Blanche, genitricis nostre, Regis Philippi, avi nostri, et aliorum progenitorum ac predecessorum nostrorum, in puram et perpetuam elemosinam decimam ipsam tenendam capitulo ecclesie Abrincensis et possidendam libere pacifice et quiete concessimus post decessum ejusdem presbyteri vel cessionem ipsius, cum ea integritate quam idem Ricardus presbyter decimam ipsam in presentiarum possidet et possedit huc usque. Super valore autem seu estimatione ejusdem decime, dilecti in Xpisto alanus, decanus, dilecti et fidelis nostri R. episcopi Abrincensis vicarius, nomine ipsius episcopi, ac idem decanus totumque capitulum Abrincensis ecclesie, et nostro consensu, taliter ordinarunt, quod ex nunc in ecclesia Abrincensis creabitur una capellania specialis, in qua constituetur sacerdos unus, qui deserviet in eadem ecclesia continue et etiam residenter, ac in septimana qualibet unam missam de Sancto Spiritu, et aliam de Beata Virgine pro nobis celebrare tenebitur, quamdiu vixerimus, et post decessum nostrum missam que pro defunctis fidelibus celebratur per duos dies in qualibet septimana ; nicholominus etiam in missis singulis, quas celebrabit, orationem pro nobis tenebitur dicere specialem. Capellanus autem qui ad hoc deputabitur singulis annis duodecim libras turonensium de decima predicta percipiet post decessum clerici memorati ; residuum vero dicte decime, scilicet, octo libre vel circa, distribuentur hoc modo : videlicet in anniversario predicti regis Philippi, avi nostri, XL solidi turonensium, et in anniversario regis Ludovici, genitoris nostri, XL solidi turonensium ; et in anniversario regine Blanche, genitricis nostre, similiter quadraginta solidi, et in nostro, post decessum nostrum, XL solidi ; que quidem anniversaria in

perpetuum annuatim fient in ecclesia Abrincensi. Predictam vero capellaniam, quotiens eam vacare contigerit, conferet Abrincense capitulum persone idonee, et ad sacerdot[i]um iam promote ; et nos quidem ordinationem predictam, sicut superius continetur, volumus concedimus et laudamus. Quod ut ratum, etc.